



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VELEZANA** IN COLUMBIA NOVA CONDITUR  
DIOECESIS VELEZANA Ad satius providendum spirituali bono Christifidelium, Venerabilis Frater Georgius Leonardus Gómez Serna, O.P., tunc sacrorum Antistes Succursensis et Sancti Aegidii, audita Conferentia Episcopali Columbiana, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam distracto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Beniamini Stella, Archiepiscopi titulo Midilensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putamus. De plenitudine igitur Nostrae potestatis sequentia decernimus. A dioecesi Succursensi et Sancti Aegidii separamus integrum territorium paroeciarum, quae patrio sermone nuncupantur: *Cristo Rey* in municipio *Albania*, *Nuestra Señora del Carmen* et *Nuestra Señora del Rosario* ad *Barbosa*, *San Antonio de Padua* et *Nuestra Señora del Carmen prope Bolivar*, *Ecce Homo* in loco *Chipatá*, *Santa Rita de Casia* apud *El Guacamayo*, *Santo Cristo* ad *El Peñón*, *San José* ad *Florián*, *Santo Cristo* ad *Guavatá*, *San Roque* in loco *Güepsa*, *Sagrado Corazón* in municipio *Jesús María*, *Nuestra Señora del Rosario* in municipio *La Aguada*, *Sagrado Corazón* in municipio *La Belleza*, *Nuestra Señora de la Paz* in municipio *La Paz*, *Sagrado Corazón* et *San Ignacio* in municipio *Landázuri*, *Santa Bárbara* in municipio *Puente Nacional*, *San Benito* in municipio *San Benito*, *María Auxiliadora*, *Santa Elena*, *San José* et *San Juan Bosco* in municipio *Santa Elena*, *Santa María Madre de la Iglesia*, *Santa Teresita del Niño Jesús* et *San Isidro Labrador* in municipio *Sucre* et *Santa María del Jordán* et *La Transfiguración* in municipio *Vélez* atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim *Velesanam*, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedictae paroeciae, simul sumptae, terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe *Vélez* ponimus, ibique exstans paroeciale templum, Deo dicatum in honorem Beatissimae Virginis Mariae «de las Nieves», ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut ibidem Capitulum Canonicorum, ad iuris normam, instituatur. Praeterea dioecesim *Velesanam* suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Bucaramanguensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem archidioecesis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Beniamino Stella vel, ipso a sede absente, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Columbia, eisdem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quarto mensis Maii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

IOANNES B. card. RE

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

*Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, pp. 566-567 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana